



Am. 17.







112

VIRI MAGNIFICI
D. THEODORI
CHRISTOPHORI
KRUGII,
Confiliarii & Archiatri Electoralis
Brandenburgici
OBSERVATIONUM CURIOSARUM
TRIGA.

NORIMBERGÆ,
ANNO clō lōc XCII.

110



ALRI MAGNIFIC
D. THEODOR
CHRISTOPHORI
CONFESSORIS
MAGNIFICENTIA
A. M. D. C. L. X. V.





OBSERVATIO I.

De

Cultrivoro Halensi Saxonico.



Tertullianum istud, Certum est quia impossi-
 bile, hucusque in indagandis rerum natura-
 lium phænomenis apud quosdam earum
 cultores sanctè magis quàm rectè cultum
 fuisse videtur, unde plurima in Scholas Me-
 dicas propullularunt nullo alio quàm cœco
 nomine apodictica & è contra impossibilia
 illa quæ ex præsuppositis falsis non probabilia judicata, qui-
 bus id effecêrunt ut, sicut ingeniosus Helmont loquitur, ex-
 perimenta negligentes non artem medicam sed conjecturam
 incertam subterfugiis studentes & humo suos errores regen-
 tes constituerint; Hinc ex noxio illo axiomate: *αὐτὸς ἕφα* tot
 diversæ sententiæ, tot inutiles disquisitiones de usu partium,
 tot nocivæ disputationes de origine & progressu morbi, & de
 remediorum applicationibus, ita ut sub formularum tam nu-
 meroso & specioso titulo & in tanta remediorum farragine nul-
 lum sæpius sit tam efficax & quod æque id ac Empirici cujusdam
 multiplici experimento compertum præstat, falsis enim præ-
 suppositis falsissimam superstruere opinionem quid mirum?
 Nolo hâc in re, utili licèt & necessariâ, jam plura proferre, com-
 modior dabitur in posterum occasio, innuo saltem jam hoc,
 quod de cultrivoro noto Prussiaco hinc indè variè fertur; plu-
 res hæctenus iiq̄ue non indocti Medici historiam illam vix
 crediderunt veram, licèt Regiomontani omnibus ad hoc ne-
 gotium necessariis circumstantiis in Bibliotheca Electorali &
 per attestata Magistratûs & Medicorum tum temporis Claris-
 simorum publica id comprobaverint. Dominus Doctor

A 2

Craan,



Craan, Consiliarius & Archiater Electoralis Brandenburgicus, Medicus dum viveret magni nominis, impossibilem credidit ingressum cultri in stomachum per œsophagum ob ejus structuram mechanicam, de curâ ut nihil diceret; at præsens historia aliam opinionem postulat, &, quod culter possit œsophagum intrare & hæere intra ventriculi parietes, ostendit; Sat doctè jam hanc rem tractavit Medicus consummatissimus Dominus Doctor Albrecht in Ephemeridibus Dec. II. anni octavi, ità ut de veritate illius historiæ nullum amplius restet dubium, nec necesse adducere alia ejusmodi exempla quæ passim apud authores practicos prostant, de cultrivoro Pragensi anno 1620. teste Doctore Jessenio: de cultrivoro Basiliensi & Londinensi, de quibus vid. Tom. prim. Theophil. Bonett Medicin. septentrion. l. 35. l. c. 16, 17, 18. it. c. 19. p. m. 511. aliorumque plurium, quorum apud Olaum Wormium, Forestum, Hildanum, &c. fit mentio. Instar omnium sit, quod ipsimet mihi videre licuit cum Halæ Saxonum nuper cum Potentissimo Electore Brandenburgico ex Carolinis thermis redux degerem; tum temporis enim hoc in casu nominatus puer Cultrivorus vultui Clementissimo Potentissimi nostri Electoris Brandenburgici se sistens, ex munificentissimâ Electoris manu numos ad curam & sustentationem necessarios accipiens, omnibus aulicis reliquisque adstantibus situm cultri devorati ostendebat, cura demandabatur Domino Doctori Wisenero, Physico Electorali ibidem & Practico ordinario, ex cujus ut & Pueri cultrivori relatione sequentia communico. Rustici cujusdam filius, nomine Johannes Rudluff 16. annorum, natus in vicinia urbis Halæ Saxonum, tertio currentis anni Januario, circa vesperam colludentibus commilitonibus sub scamno infixum cultrum sinè apice licèt, corneo manubrio & præter propter delineatâ hîc magnitudine & figurâ, aptato ad hoc in certo situ corpore & declinato capite dentibus extrahere voluit, verùm unâ cum scamno ad terram decidens ore prehensum cultrum improvi-



providè gulæ profundius commisit, ad-
gitque in fauces. Commilitones reliqui ac-
currunt & cultrum quidem si ob dentium
prominentium seriem, & qui unà omnes
subitò invadebat terrorem, potuissent, exi-
mere conantur; sed cum neque consilium
neque modum ullum alium scirent, cultrum
istum, manuum partim operâ partim cere-
visiâ primò frigida mox calida & tandem o-
leo olivarum fauces humectando, ad ventri-
culi cavum intruserunt, quo factò statim mi-
ser cultrivorus lipothymiis corripitur, diris-
que vomitionibus, præprimis si aliquid cibi
assumpserat, tentatur: Parens dicti pueri
tantam rem non negligenter agens, auxili-
um Medici Halensis ordinarii Dni Doctoris
Wiseneri petit, qui etiam confortantibus me-
dicamentis per aliquot dies propinatis, re-
censita symptomata non solùm mitigavit,
sed & horum medicamentorum repetito usu
factum, ut puer, qui pro meliori cura 13. Ja-
nuarii die ad urbem delatus, & ob factam
motionem vomitu ac lipothymiis de novo
infestatus, iterùm liberatus fuerit; Egredi
tamen è stomacho noluit fundi illius calami-
tas, sed deglutitus culter tum temporis trans-
versum situm in stomacho tenebat, ita ut
manubrio suo circa latus sinistrum præter
propter manus transversæ distantiâ ab um-
bilico, ibi enim prominentia quædam ad
contactum puero molestos pariens dolores
aderat, vergeret, dextrum autem latus obtu-
sa cultri acies occupaverat, & ibidem acutū

A 3

& pun-

& pungitivum inferebat dolorem, quoties sedulâ manu situs ejus explorabatur atq; ita & Medicus & Chirurgus aliivé complures cultri transversum situm in stomacho annotarunt. Interim laudatus Medicus ad dolores compescendos oleosa lenientia & prout vocat, balsamica adhibuit, interdum & acida ab omnibus heterogeneitatibus sedulâ ejus manu depurata ut illis martem frangeret, propinavit, ad quorum usum evenit, ut excrementa non solum nigerrima egesta, sed & dolores sopiti, cultrique partes paululum imminutæ fuerint, complicatis enim manibus sinè sensu doloris utraque latera comprimenda puer hætenus obtulit, & idem jam benè comedit & bibit, naturaliter itidem dormit, nisi vesperi largiter & immodicè cœnatus fuerit, tunc enim dolorem gravativum per noctem cum cutis eò in loco ubi manubrium vergebat elevatione, sicuti ad minimum corporis motum sub costis spuris sinistri lateris punctiõnem molestam sensit, sed & hic cessavit jam, dum puer in quiete & otio degit & ab omnibus gravioribus laboribus & symptomatibus liber vivit: Noluit idcirco sæpius laudatus medicus ad exemplum Prussiæ cultrivori incisione, in stomachum factâ extirpationem cultri moliri, sed suasoribus reliquis periculosum & anceps experimentum dissuasit, maluitque hætenus naturæ operam expectare illamque supra dictis medicamentis pro optato cum Deo eventu adjuvare. Interim non reticenda Potentissimi Electoris Brandenburgici Domini Nostri Clementissimi Munificentia, quâ jam secundâ vice Clementissimus Elector commotus ut ante aliquot septimanas misero huic cultrivoro per speciale decretum nummos de quibus viveret necessarios perquam gratiosè concesserit.

OBSER-

OBSERVATIO II.

De

Non mutato pulsu & urinâ in febre intermittente tertianâ.

IN pulsu & urinâ signa esse certissima febrium, vulgo Medici deponunt, exque his diagnosin & prognosin formare solent; sed, quæ credunt, non esse vera semper hæc signa nec temporis nec loci est hîc indigitare, nec lubet hîc essentiam febrium denominare & in quo, num in turbatione, num fermentatione sanguinis & humorum, num in obstructione sanguinis aut alio ejus statu inordinato, febris consistat? in quacunque sententiâ invenitur scrupulus, & non minor etiam in explicatione illius phænomeni cur nempe statutis horis paroxysmi febriles uno eodemque modo cum frigore & insequente calore in intermittentibus, & adhuc specialius, alii quotidie, alii alterna die, alii tridui intervallo redeant? incerta hæc si quis ratione certa facere postulet, nihilo plus aget, quam si det operam, ut cum ratione insaniat, non enim fel, nec splen, nec archeus sufficiunt ut sint circumscripti limites febrium, potius sunt miseranda & generi humano perniciosissima figmenta; sat doctè de hac materiâ scripta vide in Helmontio, & in celebri tractatu de febribus ab Excellentissimo Bontekoe conscripto & curâ Celeberrimi Domini à Ghehema edito. Dico & urgeo saltem hoc, verosimile esse non in quâvis febre certam materiam febrilem præsupponere & hinc neque purgatione, neque vomitoriis, neque clysteribus, neque venæsectione nec sic dictis vulgò diaphoreticis aut diureticis illas semper curare necesse: illud quod jam Kergerus suo tempore in praxi observavit, dum scribit sect. 3. cap. 3. Ego ab anno 1649. in hunc diem per integros 14. annos ultra mille febricitantes sinè venæsectione, sinè purgatione, sinè sudoriferis,

ris, sinè diureticis, sinè alterantibus, sinè corroborantibus, sinè Topicis & si quid præterea, unico ferè medicamento præcipitante, Deo imprimis benedicente curavi, non considerando an febris sit intermittens an continua, an tertiana vel quartana, nec expectata coctione, nec habito respectu sexus, ætatis, anni temporis vel aliarum circumstantiarum, & quidem paucorum dierum spatio sinè recidivâ vel aliquo notabili incommodo. Nolo egomet impetrari aut mihi aut illi omnia assentari, sufficit, saltem hîc adduxisse verba jam dicta; pro ulteriori autem dictorum investigatione & ad hanc rem veriùs indagandam, communico observationem febris tertianæ in viro aulico XL. annorum, quam præterito tempore hujus anni vernali post non exquisitam diætam in itinere, accedente motu animi vehementiore contraxit; patiebatur hic paroxysmos vehementes, frigus durans per duas horas excipiebat calor intensissimus, per duodecim horas cum deliriis, interdum vomitu, jectigationibus, anxietatibus præcordiorum & ejusmodi pluribus symptomatibus stipatus & largo sudore se finiens. Vocatus ad curam, ex permissu Clementissimo Potentissimi Electoris, visito ægrum 4tâ febris accessione (fretus enim naturæ robore & ex credulitate nescio quâ anili, non fore proficuum si ante quartum paroxysmum febris abigatur, hætenus nihil pharmaci assumpsit) invenio ægri urinam naturaliter constitutam, sicut & pulsum planè naturalem, ægrum tamen in maximo ardore febrili, & sine omni fiti. Committo hanc rem quidem tempori insequenti, ast altero die post invenio ægrum benè dispositum in prandio bono cum appetitu, urina erat sanorum similis, pulsus itidem bonus, verbo, toto cursu morbi quem ob incontinentiam ad decem paroxysmos eosque valde graves protraxerat, nullum me observasse mutatum pulsum nec mutatam urinam, nec sitim in maximo febrili æstu sanctè asserere possum; non sine admiratione vidi hæc, malignitatis quam vulgo Medici
in

De non mutato pulsu & urinâ in febre intermittente tertiana. 9

in ejusmodi casibus accusant, non aderant signa, extra paroxysmos enim patiens benè se habebat, nec etiam in paroxysmo quidpiam extraordinarii passus. Curata fuit hæc febris unico remedio eoque genuino specifico, liquore meo de china chinæ ritè dissolvente quodam præparato, absque ullo vomitorio, aut purgante, aut clysterio, aut venæsectione, aut sudorifero, aut diuretico, nec post febrem urina deposuit sedimentum, sed mansit cum pulsu in uno eodemque statu & consistentiâ, usque ad hanc horam, ægro athleticè vivente. Rarissimus quamquam hic casus noster, reperio ramen ante me ab Excellentissimo Lipsiensi Professore, Domino Etmüllero b. m. annotatum & pulsum & urinam quàm maximè fallere in febribus, illum ratione spirituum animalium cor moventium, hanc verò ob admixtam urinam potus urinam sanguinis, plus minus alterantem: Lingo hanc historiam Doctiorum judicio pro ulteriori indagatione naturæ februm, & quid de pulsu & urinâ in febribus judicandum? Consideretur modo illud, quid sit, quod corpus moveat in statu naturali? quod separet urinas? & à quo dependeat pulsus? præprimis, num sanguis moveat cor & pulsum? num verò pulsus moveat sanguinem? Considerent hoc Neoterici qui volunt audire, & non sunt, modò essent veridici, qui attenuationem sanguinis ceu à volatilibus factam in calore febrili accusant & splendidis & speciosis terminis se exponere student, & exinde pulsum celerem in febribus explicant, imo gloriantur sibi, quod hoc modo mechanicè rem explicent, *das Geblüt ist gar zu dünne / es fliehet gleichsam im Leibe;* Sed apertis oculis non vident, & lethalis est ignorantia, sanguis enim nimis tenuis in calore si erit? qualis erit in frigore? cum idem sit pulsus & quid ad pulsum sanguis tenuis facit, quæso? Sic crassi eorum spiritus & tenuis sanguis erunt suarum fabularum condi in perniciem miseri ægri ejulantis, spiritus attenuabuntur & dies abbreviabuntur. Ego saltem ratione curæ cum chinâ adduco

B

verba,

10 *Obs. II. De non mutato pulsu & urinâ in febre intermittente &c.*

verba, quæ illustris Philosophus Britannicus in suâ Philosophiâ corpusculari sat doctè adducit dum scribit; interdum specificum unire potest particulas suas cum particulis peccantis materiæ (sunt verba authoris) cumque iis constituere neutrum quid, quod facilè proscribi poterit, aut quod non necessariò expellendum, quoniam jam novæ indolis ægroq; ipso momento amicum & curatio hæc plerumque absq; ullo ægri incommodo contingit. Tutum non solum sed & efficax inveni semper in febribus medicamentum ex chinâ, & miror plurimos rejicere hoc salutare aut magnâ præcautione adhibere aut deridere specificum, si ita loqui liceat, quod tamen Medicum semper evadit, & ad admirationem modo & tempore genuino adhibitum febres pellit: Propinanda china ante, in, ac post paroxysmum, & non attendere debes ad istas admonitiones, ut nempe non nisi purgato corpore & præmissis enemate & venæsectione debeat china propinari, & postea febre per chinam fugata iterum sit, aliàs recidiva metuenda, purgandum. Vana erunt illa evacuantia & remedia laxantia & discite hoc juniores, nec sanguinis etiam missio alio titulo curat febres quàm quatenus, ut cum Helmontio loquar, de calido vitali furatur, ceu & enemata pudenda medentum subsidia nil hoc modo faciunt ad febrium curam. Magis certum tutumque erit contra febres medicamen in dicto cortice Peruviano; ubi non abs re erit ad majorem rei illustrationem hic addere, quod quando per chinam legitimè fugata febris, ut plurimum & cæteris paribus statim color urinæ febrilis summus ruber mutetur in colorem ordinarium, absq; ullo sedimento aliàs solito & absque ullâ attentione ad signa materiæ, uti Practici loquuntur coctæ.

OBSER.

OBSERVATIO III.

De

Usu opii singulari.

IN opio quæstus nunc est uberrimus, non enim ex stultis facit insanos, sed debilitatis & perditis prodest foeminis, sat candidè jam rem singularem explicuit amicus meus, dum in Academiis viveret, charus, & hujus causâ & quod postea Collega Academicus curiosus fuerit honorandus, ejus mortem inopinatam & præmaturam doleo, nimirum Dominus Doctor Burg/ Vratislaviensis Practicus celeberrimus, in Ephemeridibus anni octavi Dec. II. de matronâ apud quam opium in partu difficili feliciter exhibitum. Simile ferè quid nuperimè observare licuit in Matronâ Illustrissimâ, quæ post dolores graviores colicos ex diata inordinatâ contractos, tandem abortum passa est; quo facto, non tamen cessarunt dolores acutissimi abdominis, sed potius cruciarunt ægram miserimè, supervenitq; diarrhoea, ita ut sedecies per noctem assellare cogeretur; hisce accesserunt lipothymia, externorum frigus, & lochia penitus fuere suppressa; Maritus Illustrissimus anxius, noctu horâ duodecimâ ad ædes meas mittit, & petit in hoc desperato casu auxilium à me medicum, cum jam Charon nave sua foeminam charissimam expectaret; Ex doloribus abdominis ab irritatione acris materiae cujusdam omne hoc malum oriri judicans, idcirco ad hos compescendos præscribo pulverem hunc: ℞. antimonii diaphoretic. ʒss extracti castorei, opii mei liquore simplici correcti ana gran. ii; datur & propinatur in aquâ melissæ simplici, quo sumpto, statim non solum dolor atrocissimus, sed cum hoc quoq; anxietates præcordiorum & fluxus alvi cessarunt, ægra fit quieta, dormit bene cum sudore, lochia incipiunt fluere, ita ut Maritus summo mane ad meas ædes veniret, & gratias pro consilio

B 2

lio

lio redderet maximas, cum illo accedo ægram, quæ quam maximè dictum pulverem cœlitus quasi missum laudabat, circa vesperam, cum nescio, quâ occasione externâ, leniores licet dolores, sentiret, me inscio iterum sumpsit pulverem supra dictum eodem cum salubri effectu placideque noctem transegit, lochia bene fluebant, & cum his multum sanguinis grumosi excernebatur, sub cujus excretionem semper dolores recurrebant, donec mixturæ hujus præscriptæ usû R. aq. cardui bened. melissæ ãã. ℥iij. acet. vini acerrim. ℥iij. ocul. S. ppt. ℥iij. opii correcti gr. ij. sacch. perlat. ℥ss. misc. D. S. mixtur auf 3. mal; quatuor dierum spatio feliciter curata, ita ut octiduo vix adimpleto cum Marito suo lares paternos salva & incolumis repeteret, jamq; ut audio, iterum uterum gerat, quem illi apprecor feliciorum. De opio igitur, si de aliquo verissimum profertur, laudatur ab hoc, culpatur ab illo. Hoc autem iudicium dependet non semper à rei veritate, sed ex præsupposito aliquo falso principio eorum, qui sequuntur gregem, antecedentium; sunt qui opium horrent, nec injustè, si non cum circumspectione debitâ & expertâ manu adhibeatur, hoc si observetur, facilè inter omnia medicamina extollit caput salutaris hic succus; nec temerarius & nec tumidus nec etiam timidus sit Medicus, peccat uterque in perniciem ægri, præprimis in applicatione remediorum generosiorum, quale opium meretur appellari. Miseros sanè medicastros suis semper vestigiis & præsuppositis opinionibus insistentes, hoc nomine tegunt imposturam, & benè agendi occasio interim elabatur, necesse hominum excusant, quia secundum artem curant, ibiq; opium non nisi præmissis præmittendis adhibendum creditur, quoniam illi impositos mentiuntur affectus, imò venenum in opio esse dicunt; sed quid mirum? & verbum divinum quibusdam est odor mortis ad mortem, sit, licet & maneat divinus odor vitæ ad vitam; auctoritatem religiosi cœpti vide in annexâ sequenti historiâ.

storiâ, non scelus punio ibi, sed ignorantiam & terrorem paganismi, sanè non oporteret populum fortuitorum terroribus negligere, evitabit quilibet tot malorum sortes, si quod medicamentum ex opio prostat intrepidus ex cautâ manu hauserit: scio repugnaturos istos Machaones & intempestivis scrupulis oneraturos animum jam satis morbo debilem; revocet verò quivis æger sibi ad animum, ejusmodi Medicis ex cruciatibus ægrorum plus boni & commodi evenire (accipe dum dolet) quàm ex legitimo opii usu, hinc facilè credo illos abominari conatum meum, quo doceo aliam posse reperiri sanitatem, quam quæ vulgò venalis creditur; religiosè itaque servandum erit in posterum salutare medicamentum ex opio tanquam indubitatum deficientis naturæ auxilium, ne verè pronuntietur: Serò, sapiunt Phryges: Jam doctè de opii viribus scripsère authores clarissimi, præprimis Wedelius Excellentissimus, ut & Ettmüllerus celebris, variæ quoque prostant opii correctiones & modi præparandi, inter quos illum extollo, qui aqua fit simplici, utpote qui modus optimus, quia certissimus; ad majorem dictorum dilucidationem discursum hunc finio sequenti historiâ.

Vir aliquando Illustris colicis ac nephriticis doloribus cum inflammatione testiculorum ac totali obstructione urinæ laboravit, & jam per triduum omnia Medicorum consilia & auxilia sinè ullo levamine, plenis licèt cyathis secundû methodum hausit; *Hat alles gebraucht was die Medici nur ersinnen könnten.* Tædet itaque Illustris Virum tandem tot medicamentum frustra adhibitorum (utinam non nocuissent) urgente malo; sed ordinariorum Medicorum ope, (hinc inde enim illi, quoniam ibidem locorum Practici Clarissimi apud vulgus audiebant, alios ægros visitando sua sôstra quærebant) & consilio destitutus ad me mittit & auxilium petit; accedo amicorum precibus motus, & invenio ægrum maximis in doloribus & anxietatibus, propino idcirco pulverem ex oculis
can-

cancror. ppt. ʒʒ arcani duplicati Mynsicht. ʒʒ. opii mei li-
 quore simplici correcti gr. ij. externè autem cataplasma sim-
 plex ex stercore caprillo c. floribus sambuc. & chamomillæ
 ad scrotum imponi jubeo, utitur his tanto cum emolumen-
 to ut statim dolor & cum hoc omnis ad partem affectam af-
 fluxus & stagnatio humorum cessaret, urinæque fluxus re-
 motâ crispaturâ fibrarum & meatuum liberior factus, & sic
 dictus Vir Illustris altero die post noctem quietam ab omnibus
 symptomatibus liberatus, postea paucis medicamentis intra pau-
 corum dierum spatium curatus fuerit. Accedens altero ma-
 ne Medicus prior, isque senior nil habens, quod objiceret,
 fortè fortuna audit opium fuisse adhibitum, in hæc erupit
 verba: *O mein Herr Gesandter/ eine theure mit dem Opio er-
 kauffte Gesundheit/ ad quæ dictus æger subridens referebat;
 Ich befinde mich aber sehr wohl/ Herr Doctor, und wolte nicht
 um viel Geld die schon drey Tage gehabte Schmerzen noch lei-
 den; uti & reverà hæctenus lautè egit & in bona sanitate con-
 stitutus, nuptias postea celebravit, & jam aliquot liberorum
 felix parens audit, quem tunc temporis præsentem duo Medi-
 ci desperatum sub tortura medicaminum relinquebant, illi-
 que vitam & cum hæc facultatem sic dictam soboles procre-
 andi prorsus denegabant, mordebant interim, ringebant,
 & clanculum invidabant simplici hoc medicamine
 recuperatam fuisse valetudinem.*



22a 6057

ULB Halle 3
001 522 167



Sb,


Liber
Bibliothecæ Academicæ Halensii
a
CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,
Med. Doct. & Practico
Berolinensii,
TESTAMENTO DONATUS
1729.

VD 77


Handwritten blue ink scribbles







12

VIRI MAGNIFICI
**D. THEODORI
CHRISTOPHORI
KRUGII,**
Confiliarii & Archiatri Electoralis
Brandenburgici
OBSERVATIONUM CURIOSARUM
TRIGA.

NORIMBERGÆ,
ANNO clō lōc XCII.

10

